

Nos reduci plurimum desiderant: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in premissis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur Regularem Observantiam in eadem Congregatione, sublatis impedimentis, promovere cupientes, ac ipsorum Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Nobis specialiter deputatorum, qui rem mature perpendunt, consilio, Diffinitorium Generale ejusdem Congregationis in posterum ex Vicario Generali proxime absoluto, quatuor Diffinitoribus, & totidem Visitatoribus constituendum esse, & propterea in eo Ex-Vicarios (reservata tamen facultate interveniendi solum illis, qui cum hac qualitate Ex-Viciorum de presentia reperiuntur) non esse admittendos, auctoritate Apostolica tenore presentium decernimus, & declaramus; Quodque respectu eorundem Vicegerentium constituendorum Constitutio in cap. 31. §. 6., & quatenus opus sit, eam declarando, observetur. Praeterea non posse constitui Vicegerentem unum, aut plures in diversis primordiale Congregationis partibus, nisi extra Congregationem, aut si ad ipsam Congregationis extrema loca Vicarium Generalem ire contigerit, & extra dictos casus non posse constitui, nisi unum in Lombardia, si ultra Montes Apeninos etiam intra Congregationem ipsam iverit, quae deputatio tantum tempore absentiae durare intelligatur, ut supra, & non amplius, harum serie ordinamus. Et quoad personam deputandam cap. 4. rub. 28. num. 1. pariter observetur; quodque non possit eligi, qui per sex annos continuos munus quodcumque jurisdictionis exeruerit, nisi pariter per triennium vacaverit; Ac ulterius eisdem Vicegerentibus subministrari aliquid ratione expensarum a Conventibus, pro quibus constituti fuerunt Vicegerentes hujusmodi, ut supra enunciatis, praedictis Alexandri Praedecessoris literis, ceterisque contrariis non obstantibus, auctoritate, & tenore praedictis interdicimus, & prohibemus.

Decretum contra Definitorium Ex-Vicariis Gen. & forma eligendi Vicegerentis.

Clausula.

§.4. Decernentes pariter easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus praedictis Alexandri Praedecessoris Literis, aliisque praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec

non Congregationis, & Ordinis praefatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.6. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Oct. MDCCXIII. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

CXCIV.

Conceduntur Indulg. perp. Clericis, seu Presbyteris, qui interfuerint Collationibus fieri solitis in Aedibus Congregationis Missionis in Monte Citorio Urbis.

Dat. 17. Oct. 1713. An. 13.

Const. ed. 1701, Nov. 5, P. 1. extant alia Indulgentia, & Bened. XIII Const. ed. 1729, Aug. 13, P. 6 Beatificatio Servi Dei Vincentii a Paulo.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, in Domo Presbyterorum Saecularium Congregationis Missionis nuncupat. in Monte Citorio de Urbe, juxta laudabile ejus institutum singulis tertiis feriis cujuslibet hebdomadae collatio, sive Colloquia ad perfectionem spiritus conducentia haberi consueverint. Nos eorum devotionem, qui operi adeo pio, & salubri vacaverint caelestium Ecclesiae thesaurorum elargitione magis excitare volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis Clericis, sive Presbyteris in dicta Collatione tam descriptis, quam pro tempore describendis, in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, plenariam: Praeterea eisdem praesentibus, & futuris Clericis, seu Presbyteris, vere similiter poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Ecclesiam dictae Domus feria tertia majoris hebdomadae, qua propositum imitandi Salvatorem nostrum innovare solet, a primis vespere, usque ad occasum solis diei hujusmodi annis singulis devote visitaverint, ac pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem

Collationes fieri solent in quibus tertiis feriis.

Indulgentia plen. in mortis articulo.

Item alia in feria 3. majoris hebdomadae.

Notandum reo. dies in reliquis tertiis feriis.

nem misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem Clericis, seu Presbyteris nunc, & pro tempore existentibus, qui in reliquis tertiis feriis totius anni ejusmodi Collationi, & Colloquiis interfuerint, & oraverint, ut praefertur centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentibus in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVII. Octobris MDCCXIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CXCV.

Prohibetur, ne Clerici Congregationis Doctrinae Christianae in Gallis sine Generalis, & Diffinitorii facultate Beneficia accipiant, nec unquam in Domo mulieres introducant.

Hoc secundum prohibitum fuerat ab Alexan. VII Const. ed. 1696, Mij 16, P. 5. praepcepta sunt executio vita communis. Et Const. ed. 1699, Jun. 22, P. 8 agit de voto, ac juramento. Item hujus Pontificis Const. ed. 1716, Sep. 28, P. 16. Et Bened. XIII Const. ed. 1727, Junii, P. 4 eduntur quaedam ordinationes pro bono regimine.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Preces Procuratoris Gen. Juliae Capituli Gen. Pontifici oblatae pro remedio adferendo duo bus abusibus.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Fallois Procurator Generalis Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia quod alias in ultimo Capitulo Generali dictae Congregationis in Civitate Parisien. celebrato unanimi consensu deliberatum fuit, Nobis supplicandum esse, quatenus aliquod remedium nonnullis abusibus in eadem Congregatione in magnam ejus detrimentum vertentibus adferre dignaremur. Primo quidem quod quavis ex dictae Congregationis Constitutionibus cautum reperitur, ne quis Beneficium quodcumque Ecclesiasticum, absque Generalis, ejusque Diffinitorii consensu accipere audeat, accidit tamen saepissime, ut nonnulli in eadem Congregatione prolessi ejusmodi Beneficia Ecclesiastica, licentia, & consensu praedictis minime obtentis, sibi conferri procurant, vel oblata recipiant, quod revera, absque paupertatis, & obedientiae ab ipsis emissorum votorum infractione nullo modo fieri potest. Secundo ut novum, majusque robur adjiciatur cuidam Decreto a fel. rec. Alexandro Papa VII. Praedecessore nostro die 8. Decembris 1660. emanato, per quod sub poena excommunicationis ipso facto incurren. prohibetur, ne quis ejusdem Congregationis intra illius Domo, seu Collegia mulieres introducere audeat. Nobis propterea dictus Joannes Prior Generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§.1. Nos igitur ipsius Joannis Procuratoris Generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, a jure,

vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum, qui relationem venerabilis Fratris Cornelii Archiepiscopi Carthagen. apud Charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum Regem, Christianissimum nostri, & Apostolicae Sedis Nuntii super praemissis ad eosdem Cardinales transmissam, perpenderunt consilio, ne de cetero quisquam dictae Congregationis quodcumque Beneficium Ecclesiasticum absque moderni, & pro tempore existentis Praepositi Generalis ejusdem Congregationis cum suo Diffinitorio in scriptis obtenta licentia sub nullitatis collationis, seu provisionis hujusmodi beneficii accipere, nec intra Domo, & Collegia praedictae Congregationis mulieres sub excommunicationis poenis ipso facto incurren. introducere audeat, seu presumat, auctoritate Apostolica tenore presentium interdicimus, & prohibemus.

Prohibitio praedicta juxta Constitutiones Ordinis, & Apostolicas.

Clausula.

§.2. Decernentes easdem presentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictae Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate, alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Octobris MDCCXIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CXCVI.

Conceditur Indulgentia plen. perp. pro Ecclesiis Fratrum Min. de Observ. in festo S. Catharinae Bononien.

Dat. 15. Nov. 1713. An. 13.

Ab hoc Pontifice Sanctarum albo adscripta fuit. Alia

Alia Indulgentia extant Const. ed. 1701, Jun. 14, P. 1. Et Bened. XIII Const. ed. 1726, 5 Nonas Mart., P. 2.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum, quæ Nobis reliquit exemplorum sectatores, altis decoravit honoribus, & celestis Beatitudinis confortes effecit, vices, licet immeriti gerentes in terris spiritualium munerum thesauros, quorum Nobis credita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam, & fovendam erga eisdem Beatos Cæli Incolas Fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Contra præsentis concessio.

§. 1. Cum itaque nos alias ad honorem Sanctissimæ, & individue Trinitatis, ad exaltationem Catholicæ Fidei, & Christianæ Religionis incrementum, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Alma Urbe nostra tunc existentium consilio, Beatam Catharinam a Bononia Ordinis Sanctæ Clare auctoritate Nobis a Domino tradita Sanctam esse decreverimus, & diffiniverimus, illamque Sanctorum Catalogo solemniter adscripserimus. Hinc est, quod Nos ad augendam fidelium Religionem, & animarum,

salutem celestis Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum tam hæcenus erectis, quam in posterum quodcumque erigendis, & ubicumque locorum existentibus die festo ejusdem Sanctæ Catharinæ, nempe die nona Martii, a primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi annis singulis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Concessio præd. Indulgentiæ die 9. Martii.

§. 2. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Clausula.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Novembris MDCCXIII. Pontificatus nostri Anno Decemtertio.

Finis Primæ Partis Constitutionum CLEMENTIS XI.

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Quæ in hoc Tomo continentur Alphabetico ordine digestus.

A

ABBAS, ET ABBATIA. QUÆ ad Abbates monachorum pertinet. Vid. Monachi per tot. Abbatia S. Benigni. Vid. Sabaudia. ABSOLUTIO A CASIBUS RESERVATIS. Absolventi à casibus reservatis facultatem in quibusdam partibus infidelium fratribus discalearis SS. Trinitatis redempt. captiv. congreg. Hispaniæ, concessit Clem. XI. Const. 53. §. 1. p. 57. Absolutionem à quibusdam censuris & casibus Confessariis omnibus de urbe prohibuit idem constitutione 154. p. 258. ABULEN. ECCLESIA. Abulen. Ecclesiæ turbas refert Clem. XI. Const. 127. §. 1. p. 212. Vid. Electio. ACADEMIA CLEMENTINA. Academia Pictorum, Sculptorum, & Architectorum Bononiæ instituta, & Clementina nomine insignita, statuta quædam recenset Clem. XI. Const. 158. §. 1. p. 264. ad 269. Videlicet. Dell' aggregazione de' Signori Accademici. p. 264. Dell' officio de' Signori Accademici. p. 26. Residenza dell' Accademia. ibid. Del Nome, e impresa di questa Accademia. p. 265. Qualità necessarie de' Signori Accademici aggragandi. ibid. Obblighi degli aggregati. ibid. Dell' elezione del Principe. ibid. Facoltà, ed incombenze del Principe. ibid. Delle facoltà, ed elezione del Vice-Principe. p. 267. De' direttori, e del loro officio. ibid. Del Depositario, e suo officio. ibid. De' Proveditori, e loro incombenze. ibid. De' Sotto proveditori. ibid. Del Segretario, e Cancelliere. p. 268. Del Notaro dell' Accademia. ibid. De' Custodi, e loro officio. ibid. De' Bidelli, e loro officio. ibid. De' Libri, Scritture, ed altre cose preziose spettanti all' Accademia, e loro conservazione. ibid. Delle Pene. ibid. De' Premii onorifici. p. 269. Delli Legati, e donazioni, o altri acquisti dell' Accademia. ibid. Facoltà dell' Accademia. ibid. Esenzioni dell' Accademia. ibid. Academia prædictæ relata statuta confirmavit idem Const. 158. §. 1. p. 270. ADMINISTRATOR. Administratorum Ecclesiarum Gnesien. & Uladislauien. electiones nullas declaravit Clem. XI. Const. 108. §. 3. p. 191. Administratores eisdem assertis, ne se ingererent in regimine dictarum Ecclesiarum sub diversis penis prohibuit id. §. 4. ibid. ALTARE PORTATILE. Altari portatili utendi facultatem in quibusdam partibus infidelium fratribus discalearis SS. Trinit.

redempt. captiv. congregationis Hispaniæ concessit Clem. XI. Const. 53. §. 1. p. 57. S. ANDREAS AVELLINUS. S. Andree Avellini vitam Constitutioni insertam refert, una cum nonnullis miraculis, Clem. XI. Const. 170. §. 2. ad 32. p. 313. ad 318. S. Andree ejusdem Canonizationem cum concessione Indulgentiæ in eius festo & octava, promulgavit id. dicta Const. 170. §. 38. d. p. 310. AQUILA. Vid. Audientia regia Aquilan. AUDIENTIA REGIA AQUILANA. Ab Audientia Regia Aquilan. ministris gesta omnia, circa condemnationem clerici, sequestrum mensæ, & ejectionem Episcopi, ob censuras in eos latis, refert, nulla declarat, & censuras confirmat Clem. XI. Const. 100. §. 1. 2. & 3. p. 177. ad 179. AUDITORES ROTÆ. Ut inter Auditores Rotæ Perusine sit semper locus pro uno cive Civitatis Urbini, statuit Clem. XI. Const. 86. p. 157. AVENIONENSIS STATUS. Pro Avenionensi statu, & Comitatu Venaisino non servandam esse Constitutionem Egidianam quoad solemnitates in contractibus minorum, decrevit Congreg. Avenionen., ejusque decretum confirmavit Clem. XI. Const. 166. p. 290. B. AUGUSTINUS DALMATA. De B. Augustini Dalmatæ Officio, & Missæ pro dicecesibus Lucerin., Zegabrien., & Tragurien., nec non Ord. FF. Prædicatorum, decretum Congreg. Rituum confirmavit Clem. XI. Const. 33. §. 1. p. 33. B BIBLIOTHECA CASANATENSIS. IN Bibliotheca Casanatensi libros quoscumque vetitos retinendi facultatem Generali Prædicatorum concessit Clem. XI. Const. 8. p. 9. C CANONICI REGULARES. PRO Canonici Regularibus Ordinis Præmonstraten. Congregationis Hispaniæ Constitutionem Innoc. XII. edit. die 6. Dec. 1698. de uniformitate eorundem tam in habitu, quam in ceteris cum universo ordine, confirmavit Clem. XI. Const. 39. §. 1. p. 41. Ut Canonici prædicti reassumerent habitum, Breviarium, & Missale Ordinis Præmonstraten., statuit id. Const. 45. §. 1. p. 47. Canonico Regularium Congregationis Reformate, Ord. S. Antonii Viennæ, statuta quædam recenset idem Const. 49. §. 1. p. 50. ad 52. Scilicet. De firmitate decretorum Capituli Generalis: num. 1. p. 50. De modo dirimendi controversias inter superiorem Gen., & Diffinitores, vel Promotorem Ordinis: num. 2. ibid. De Y y De